DIVINI AMORIS DISCIPVLVS,

TERRARVM ORBIS MAGISTER

DIVVS IOANNES EVANGELISTA


ORATIO

Eidem Sacro die habita in Sacello Pontificum Vaticano

AD S. S. D. N.

INNOCENTIVM XI. P. M.

Ab Antonio Politauro Patritio Auximano.





ROMAE, Apud Franciscum Tizzonum. MDCLXXVIII.
Superiorum permissu.

INNOCENTIO XI. PONT. MAX.

ANTONIVS POLITAVRVS FELICIT.



RATIONEM, qua Diuini Amoris Diſcipulum, Terrarumque Orbis Magiſtrum coram Sanctitate tua, non ita pridem laudaui, Tibi audeo conſecrare B. P. alteri videlicet Diuini Amoris Diſcipulo, Terrarumque Orbis Mãgiſtro. Nec enim alius tibi Magiſter eſt, quam Deus, nec alium, quam te Chriſtianus Orbis habet in fidei, ac Religionis Veritate Magiſtrũ; Diſcebat ille á Numine, quod doceret; ab eodem etiam tu doceris, vt doceas. Nec aliundè hauris Oracula, quibus Chriſtianam Rempublicam modereris, quã

vnde ille hauſerat, vt erudiret ; Eſt certè illud tibi cum Ioanne commune, quod quicquid aut addiſcis, aut doces, id omne & Dei erga te, & tuum erga Deum amorem commendet; dum ea, qua te Magiſter tuus Diuinus Amor inſigniuit Sapientia, non aliter vteris, quam ex Magiſterio Caritatis; quo non te, non tuos, non tua ; ſed ea dumtaxat, quæ Dei ſunt, tibi amanda exiſtimas . Hoc profecto eſt, & Amorem à Deo diſcentis, & eumdem Mortales docentis luculentiſſimum argumentum.

AMO-

AMORIS DISCIPVLVS, TERRARVM ORBIS MAGISTER D. IOANNES EVANGELISTA.



QVISQVIS amare simul, & sapere difficillimum dixit B. P. is profectò, nec sapuit, nec amauit; Nam si Sapientiæ, vel Amoris in exedris eruditus, alterutrum aliquando gustasset, procul dubio didicisset expertus, nec doctiorem Amore Magistrum, nec aptiorem amante Discipulum reperiri; Nempè illi facillimum est altissima quæque, & vix humanis peruia mentibus Diuinitatis arcana secreto cordis in Lyceo, sine vllo inanium verborum strepitu, solisque affectibus explanare; & hic nullo planè negocio Amore docente percipiet, quod vel Plato, vel Aristoteles, cæterique humanorum apices ingeniorum improbo labore frustra quæsierint; Vnum te, sed amplissimum sanè Testem, & millenis potiorem Ioannem inuoco, quem Amoris quondam Discipulum, nunc Orbis vniuersi Magistrum veneramur; ideoq; Orbis Magistrum, quia quondam Amoris Discipulum.

Amoris planè Discipulus Ioannes, qui non alia frequentauit Lycea, quam Amoris. Quale enimverò Amo-

mo-

moris Lyceum Thabor, vbi nostræ adhuc mortalitatis in Scena Ioannes immortalis illius, & sempiternæ beatitatis spectator euasit, in qua subinde vel viuus felicissimè conquieuit? Quale Amoris Lyceum Sionis Cœnabulum, vbi stupente Natura, beatis mentibus prope dixerim inuidentibus, in sinu, gremioque Amantissimi Reparatoris recũbens Ioannes breui didicit in somno, quę diuturnis vigilijs humana mens inuestigare fortasse posset, inuenire certè non posset? Quale Amoris Lyceũ Caluariæ Collis, vbi Crucis è Cathedra Deo patiente, simul atque docente, humano generi tandem innotuit Diuini Amoris arcanum omnibus retro sæculis, si minus inauditum, certè non intellectum: amari à Deo mortales vsque ad tormenta quodammodo Diuinitatis? At verò in his Amoris Diuini Lyceis, in his caritatis officinis, in his Sapientiæ diuinioris æstuarijs; Dilecte Ioannes, quæ non oracula, quæ non arcana, quæ non effata Sapientum percipiebas? Percipiebas planè Oracula, sed Amoris. Arcana intelligebas, sed charitatis. Effata discebas, sed amantis Dei.

Quid? si præterea, quæ scripsit Ioannes non dicam attentè, sed oscitanter tantummodo perlegantur, nonne eam vbique spirant amoris auram, vt ex ea facilè Amoris Discipulum, quicumque possit agnoscere; Magnus enimverò, & dignus tanto Magistro Discipulus, sed non minor Ioannes Magisterio, quam Disciplina; par erat vt Orbem erudiret vniuersum cælesti doctrina, hoc est amoris, qui doctorem huiusmodi nactus

fue-

fuerat, eaque docere decebat, quæ nemo alius præter amoris discipulum; scilicet ea quæ maximè cupit auidum Mortalitatis ingenium, sed quę nostrę mentis imbecillitas difficillimè assequitur. Ea verò triplici potissimum genere continentur, vel enim longo locorum interuallo à nobis dissita, vel venturi temporis tenebris inuoluta, vel ab hac nostra concretione mortali longe remota mentis humanæ aciem suæ tenuitati frustra obluctantem facilè fugiunt; Inquiruntur ista quidem sed temerariè quandoque, parum plerumque feliciter, inquirunrur ab homine, laborant enim Mathematici cælestium Orbium situs, ordinem, arcana percepturi, sed toto profectò cœlo aberrant, ni suos in cæli contemplatione fateantur errores. Vnus Ioannes inuentus est, qui non, vt ait ille, omne æuum tribus explicaret cartis, sed exiguo planè Apocalipsis libello, ætatum omnium futurarum euentus comprehenderit, Diuinitatis arcana, beatarum mentium naturam, sublimiorum mysteriorum secreta recluserit, quæ Diuinorum consultissimi frustrà scrutarentur, ni diuinioris Doctrinæ Præceptor Ioannes paucis multa complexus in Euangelio ea docuisset, quæ nemo vnquam sperasset assequi, nemo tentasset, quin tantarum rerum fulgore perstrictus caligasset; imò pęnitus cæcutisset ad Solem Veritatis. Magnus enim verò Discipulus, Magnus Magister Ioannes, par enim censeri dignitas debet, pendere ab ore docentis Dei Discipulum, & omnium ora informare Magistrum. Superum arcana di-


scen-

ſcentem excipere, & docentem dictare Mortalibus; Sed ſi magnus alterutro, vtroque procul dubio maximus, vtroque Dei, totiuſque humani generis Amor, Amoris Diſcipulus, & Magiſter Orbis Terrarum.

F I N I S.


AD ILL. ADMODVM
COMITEM AC REVERENDISS.
PRAESVLEM GEORGIVM MANZOLVM BONONIENSEM CAMERTVM
PRÆSIDEM; ET ADVERSANÆ
Ecclesiæ Episcopum.

GVIDI GVALTERII GENESINI
PANEGYRICVS.





SACRORVM PRÆSVLVM PERMISSV.



CAMERINI,
Ex Officina, Hæredum Antonij Gioiosi.
CIↃ. IↃ. LXXXII.

ILLVSTRIBVS ADMODVM ATQ. SAPIENTISSIMIS ADVERSANIS ELECTIS ET CIVIBVS

S. P. AC FELICITATEM.



IDEBOR Fortasse nonnullis inepte facere (viri admodum Illustres) quòd ad vos ego scribam, cuius nomen ad vestras aures numquam fortasse peruenit. At ipse iam inde à puero & litterarum monumentis, & hominum fama celeberrima vos, ac vestræ Ciuitatis præclarissimas dotes noui optime. Quare vt naturæ quodam impulsu ad ea homines amanda ducuntur, quæ pulchra, & præclara sunt, ego vos, vestramq. Ciuitatem amaui semper, ac etiam sum admiratus. Nunc verò cum Pignus intercedat pretiosissimum Georgius Manzolus Pastor ac Pater vester, meus autem maximus Patronus, pro eo quanti illum facio vos vnice amo veneror & obseruo: Ac propterea me rectissime facturum sum arbitratus, si voluptatem, quam ex illius dignitate aucta cepi maximam, vobiscum communicarem; quos equidem credo incredibili quoque affici lætitia, cum Pastorem vestris etiam votis meliorem vobis contigisse intelligatis: Idq. percommode me facturum existimaui; si vobis Panegyricum hunc dicarem, qui à me statim atq. Manzoli Episcopi fama emanauit, editus est; atq. ita editus, vt mei amoris in illum singularis, ac ex illius dignitate admirabilis lætitiæ certissimum argumentum. Qua quidem in re temperaui sanè ipse mihi non parum; Namque infinitus amor, infinitumq. gaudium, infinitam etiam orationem dictabant. Gratulatus iam sum Episcopo

Manzolo; nunc vobis gratulor, atq. adeo bona fide recipio, nihil vobis felicius umquam potuisse contingere, quàm Georgium Manzolum Præsulem. Qui qualis, quantusq. sit, vobis & constanti fama, & omnium litteris iam significatum arbitror: At volui hoc meo Panegyrico illum vobis etiam cognitum esse. Quin hoc vobis plane spondeo, & famam, & meum hoc testimonium eius præsentia superatum iri. Itaque iam videre videor; vestrum vnumquemque dicturum; auxit præsentia famam. Equidem duo mihi soleo in scribendo proponere, illorum scilicet ad quos scribo gratiam, atq. beneuolentiam, & rerum; quas consueui sumere scribendas, veritatem. Accipite igitur lætißimis animis lucubrationem hanc meam (viri optimi) Deo Opt. Max. innumerabiles pro tanto Pastore gratias agite; vota pro celeri eius ad vos aduentu, eiusq. diuturna vita facite. Ac me tum Præsulis Manzoli, tum vestrarum laudum fidelißimum Præconem tanti facite, quanti mea erga illum, & erga vos egregia fides, & obseruantia postulat. Valete, ac felicißime viuite. Camerino XV. Kal. Iun. CIↃ. IↃ. LXXXII.

Inclytæ Ciuitati vestræ

Deditißimus

Guidus Gualterius Genesinus.

AD ILL. ADMODVM COMITEM AC REVERENDISS. PRAESVLEM GEORGIVM MANZOLVM BONONIENSEM, CAMERTVM PRÆSIDEM, & Aduersanæ Ecclesiæ Episcopum.

GVIDI GVALTERII GENESINI PANEGYRICVS.





VÆ RES AD HOMINVM ANIMOS excitandos, & ad eloquendum plurimum possunt, hæ contra me nunc faciunt, amor, admiratio, & lætitia (Comes Illustris, & Præsul amplissime) Nam cum singularis amor in te meus, ingens tui admiratio, & incredibilis de te, ac de auctæ tuæ dignitatis nuncio lætitia redundent; mihi tamen ad res has oratione significandas verba desunt. Id eo fortasse fieri arbitror, quod quemadmodum humore temperato vigent herbæ, nimio autem sæpenumero suffocantur; sic animus motibus his, cum modus adsit, excitatur; at vehementiores cum sint obruitur,& quasi cæcus ad loquendum fertur. Huc accedit animi tui moderatio ab omni laude prorsus aliena; ac tanta vt cum non nisi laudanda facias, laudari tamen minime appetas, vel potius negligas. Quamobrem ijs nunc video me premi angustijs, vt nec eloqui, nec tacére posse videar. At eloquar tamen vtcumq. potero. Nam sentio me amoris admirationis, ac lætitiæ stimulis potius incitari, quàm moderationis tuæ freno retardari; ac satius esse arbitror animi nimium amantis, admirantis, & gaudentis cæcitate orationi ordinem, & exactam, perfectamq. laudandi rationem deesse, quàm vt ipse officio desim.

fim. Illud tamen polliceor, si quæ dicenda essent omnia minime videro, in ijs tamen cauendis, quæ dicenda non sunt Lynceo me oculatiorem futurum: Nec me impetus animi adeo transuersum aget, vt vel mendacia promam; vel assentatione orationem aspergam: etenim vere te amo, vereq. admiror, quòd vera in te inest virtus; quòd veram promereris laudem, quodq. tua vita tota veritas est. Sed hoc vnum te rogatum velim; ne moderatio tua meas respuat laudes. Non sunt enim amor, lætitia, & ingenia coercenda. Tuum est, tuiq. similium laudanda facere, aliorum autem ea laudare, scriptorumq. mandare monumentis; vt & viuentes, & posteri habeant vnde virtutem discant. Namq. probi, clariq. viri non sibi tantum nascuntur, sed multo magis ceteris. Fuere Curij, atq. Fabricij vt diuitias, & fluxa vitæ bona despicere: fuere Socrates, atq. Catones vt sapientiam: fuere Scipiones vt fortitudinem: fuere innumerabiles in omni virtutum genere præstantissimi viri, vt ex illis ceteri homines virtutes omnes addiscerent. At modestia tua te tanti non esse tibi persuadet, ob eamq. rem ab omni laude prorsus abhorrentem facit. Tuum istud iudicium te magis atq. magis apud alios commendat, ad quos huiusmodi iudicium pertinet. Quare quo enixius laudem aspernaris, eo magis te laudandum præstas: eoque magis ad te laudandum homines allicis. Nam si sæpius nitimur in vetitum, si negata cupimus, quòd liberior hominis natura se coerceri minime pati posse videatur; cur pati debeat ingenuus animus, vt ea sibi vetentur, ac negentur, quæ iusta, & honesta sunt; quæ ceteris hominibus exemplo, & vsui esse possunt; quæue ad Dei Opt. Max. laudem & gloriam spectant? Si quidem boni viri Dei simulacra sunt; eorumq. virtus, & probitas Dei opus est, à quo dona, bonaq. omnia proueniunt. Itaque qui bonos laudat viros, Dei opus, virtutem, prouidentiam, & potentiam laudat. Iam igitur (Præsul optime) depone paulisper grauitatem istam Catoniana maiorem; patere laudari, patere Guidum tuum, quem tu omni amore, omniq. benignitate complexus es, quiue te supra quàm credi possit, obseruat, & colit, in te laudando, tuisq. virtutibus celebrandis amorem, & obseruantiam in te suam tibi, ceteris, & posteris etiam declarare. Hoc tantum equidem tibi

præstare

præstare possum, at si minus eleganter & copiose, fideliter certe vereq. præstabo. Sine me gratulari tibi oblatam à summo Pontifice episcopalem dignitatem: sine augurari ampliorem, sine altius exclamare: O Ciuitatem Aduersam Georgio Manzolo Episcopo dignam: O Georgium Manzolum Aduersa Ciuitate dignum: O Aduersam Ciuitatem, ò Georgium Manzolum vere beatos: ò dies vere faustos, ac felices, quibus, & designatus Episcopus, & nunciatus es. Quis non fateatur diuino miraculo factum, cum audiat, die Diuo Georgio sacro tibi Georgio Aduersanam Ecclesiam à Pontifice decretam esse? Cui augurari quoque non liceat, tibi Georgio diui Georgij præcipuo cultori & imitatori Diuum Georgium genium, larem, pænatem, & auspicem contigisse? At Georgii die non lætus minus, faustusq. fuit dies ille ante kal. Maias, cum tibi prandenti tantæ dignitatis nuncius est allatus. Aderam ipse à te perbenigne inuitatus, erat mihi suauissimum prandium illud, quod tua in me summa humanitate conditum videbam: Sed nuncio illo superueniente non iucunditate solum, verum felicitate condiri visum est. Incessi subito lætitiis omnibus, exsultaui, gestiui, ter ac primus tuas exhosculatus fui manus, prouolaui gestiens in forum: omnibus nunciaui te Episcopum designatum: Hieronymo Bouio Camertum Episcopo sapientissimo nuncium attuli, ille verò vt tui amãtissimus est, maxima incredibilis lætitiæ signa præsetulit. Cucurri ad Magistratum eadem nuncians; Magistratus protinus ad te cucurrit, vt episcopum te consalutaret: Adcurrere statim Ciues omnes, vt tibi gratularentur, quod tanta esses dignitate auctus, vt sibi dolerent, quòd præsentia tua se diutius frui non posse intelligerent. At hæc quid aliud sibi volunt, quàm & episcopum Bouium, & magistratum, & Camertes ciues omnes non tam dignitatem istam tibi gratulari, quam virtutem tuam, qua illam promeritus, & adeptus es? Eo die citius quàm assolent aduolarunt dispositi equi cum statoribus, qui Roma, & ex aliis quã plurimis locis litteras tibi plurimas reddiderũt; quæ omnes ita lætæ erant, vt Victoriæ Laureatæ litteræ olim solebant esse. Vndique inquam ad te litteræ perlatæ sunt, quòd tui episcopatus fama tam cito percrebuit, vt Diuinitus potius, quàm hominum vel sermone, vel litteris emanasse videretur. Quid igitur sibi

vult

vult tantus motus? tantus omnium de te consensus? tanta, & tam publica etiam alacritas? Hoc sanè tuorum meritorum testimonium est amplissimum: hoc certe futuræ tuæ amplioris dignitatis auspicium certissimum est: Hæc inquam hominum opinio est, qui te maxime idoneum censent, quem fortuna, vel potius Deus amplissimo suæ benignitatis gremio complectatur. At quis tuus est animus? Ille profecto qui probum, & sapientem hominem; qui nobilem, & illustrem Comitem, qui optimum Præsulem decet. Namque nuncio illo accepto turbari potius, quàm gaudere visus es: negabas te delectum Episcopum: rem omnino dissimulabas. O ingentem animi moderationem. Alii conuocant propinquos, domesticos, familiares, & amicos omnes, vt animi lætitiam præseferant, vt gaudia communicent, vt plausum excitent. Tu in interiores ædes recessisti Christallino Proprætore; Claudio Sossomenio Cyprio tantæ dignitatis nuncio, ac me insequentibus: Pontificis, Cardinalium, amicorumq. litteras tacitus legisti, ac demum iis lectis, confectisq. salutationibus in intimum cubiculum ingressus ingentes quas debebas Deo Opt. max. gratias egisti; preces ad eumdem pias, ac plurimas fudisti, ac denique sacerdotem accersi iussisti: Confessioneq. diligentissime peracta Eucharistiæ sacramētum postridie sumpsisti, teq. sacrosanctis ecclesiæ ordinibus initiandum Bouio Episcopo præbuisti, atq. adeo curasti, vt cum episcopali dignitate ornatus esses, episcopalem etiam animum demonstrares. Ex illo nil nisi diuinum cogitare cæpisti sacerdotes doctos, & probatos vocando quibus cum sacros hymnos, & psalmos caneres, diuinaq. scripta euolueres. Hæc ipse vidi omnia, hisq. omnibus interfui: at puto te, cum solus es, illud assidue meditari, quam benigne tecum egerit Deus, quantum oneris tibi Pontifex imposuerit, & quo modo illud sustineas. Nam illud plane constat, te ita nuncium illum accepisse, vt ad episcopatum tanquam Aaron vocatum intelligas, teq. non tam dignitate auctū, quam tibi laborem additum, qui ad ecclesiæ dignitatem, ad hominum vtilitatem, & ad ipsius Dei gloriam maxime pertineat. Quare te non ad portum accessisse, verum è littore soluere iam existimas, & in altum ascendere, ac laboribus quam plurimis obiici. Optime inquam intelligis cum tibi terra laboris

boris magna ex parte commissa sit: tibi plurimum laborandum esse, vt illam optime colas: tecum etiam reputas, te Georgium Græco nomine vocatum, quasi Terræ cultorem, vt illam terrã colas quæ à labore dicitur, quæ Christi est; quæue te cultore euangelicum fructum centesimum adferat, ac multo fructuosior sit, quàm esse consueuit. Sed non solum Christi Terræ cultor factus es, verum suarum ouium Pastor, & earum ouium, quæ aurei velleris Hesperidum greges pulchritudine superent; & iure sanè optimo: Nam summa vigilantia, fide, ac diligentia præditus es ad illas custodiendas, ac tuendas. Episcopus designatus es; merito quidem, nam summa sapientia, & scientia vtriusq. iuris præsertim diuini, optimarumq. artium omnium excultus cum sis, quis te melius populum instruet? Pontifex creatus es: iustissimis profecto de caussis, si quidem cum probitate, sanctitate, moribusq. omnibus ingenuis excellas, quis te melius ceteris exemplo esse poterit? Hæc liberius loquor, quòd cum te intus, & in cute (vt aiunt) plane norim mendacii argui minime posse scio. Toto enim hoc tempore, quo Camerini fuisti tecum ita familiariter sum versatus, vt tua mihi virtus, & vita penitus cognita, & perspecta sit. Nullus otiosus vmquam sermo inter nos fuit, semper de litteris, semper de moribus, semper de virtute nostri fuere sermones. In tui verò muneris administratione eam iustitiam, eam continentiam, eam modestiam, eam integritatem præstitisti semper, vt omnes in admirationem rapueris omnesq. fateantur, te multorum Præsidum, qui Camerini ante hac fuerunt, & superasse virtutem, & obscurasse gloriam. Qua de re Camertes explicare nesciunt, maiorne sit eorum ex tua dignitate lætitia; an ex futuro proximo discessu mœror: gaudeantne magis tuo tanto lucro, an eorum graui iactura doleant: Impatienter discessus tui cogitationem ferunt, quo animo eos laturos putas discessum tuum? Dicunt omnes non Præsulem, sed Patrem amittemus quando huic vllum inueniemus parem? Ego verò dum de tuo discessu cogito, de animæ à corpore seiunctione cogitare videor: Vix fieri posse arbitror vt tanti Patroni consuetudine carere possim, qua suauius esse nihil potest. Bone Deus, quæ benignitas, quæ comitas, quæ affabilitas, quæ vrbanitas, quæ humanitas, quæ mansuetudo? Hæc tam propria tibi

eſt, vt proprium eſt Manzolum nomen; Manzolusq. à manſue-
tudine potius quàm à gente cognominatus videris. Quamquã
Mazzolum potius quàm Manzolum tuum eſse cognomen verius
aſseritur: Quod cum ita ſit, Mazzolus quid aliud eſt, quàm
Claua, vel Faſciculus? At Claua quid aliud eſt quàm tuæ gentis
pręſertim Herculis parentis tui, ac tua fortitudo, & Heroica
Virtus? Faſciculus autem quid aliud indicat, quàm eorumdem
Florentiſſimum Stemma, Virtutumq. omnium cumulus? Quid
etiam tua ſibi volunt Inſignia tribus coloribus diſtincta rubro,
albo, & nigro? Hæc tametſi tibi ſunt cum tuis gentilibus com-
munia, tamen tua propria videntur eſse. Ruber color in ſum-
mo cæleſtia, albus animum, niger corpus planè indicant, ac cæ
leſtem animum corpori tuo ineſse, ac etiam cæleſtia ſemper tuũ
animum in corpore contemplari oſtendunt. Vel ruber Virtutẽ
albus animum, niger vitam deſcribunt: Albumq. nigro commi
ſtum, ſuumq. retinentem candorem, ac in ſuperiori parte ru-
bro coniunctum iccirco eſse, quòd ipſe animum inter uitæ hu-
ius mortalis ærumnas, & ſordes purum, innocentem, & in vir-
tutem ſemper intentum retinere ſoleas. Non poteras (Manzo
le inſignis) Inſignioribus inſigniri inſignibus: quippe quæ rubro
etiam colore indicant ſingularem in tuos charitatem: Albo in-
credibilem in omnes fidem: Nigro admirabilem in tota uitæ
grauitatem. Tres ſunt colores, ut ternario numero perfectiſſimo
tua ꝑfecta declaretur uirtus. Tres etiã ſunt colores, quòd animi
corporis, fortunæq. bonis optime inſtructus es, quodq. tribus
adhuc Virtutibus ornatus excellis, Religione, Prudentia, &
Liberalitate. Religione Deo viuis, prudentia tibi, liberalitate
alijs. Religione inquam impenſius quàm dici poſſit Deum ti-
mes, amas, & colis. Prudentia intra rationis gyrum te ſemper
contines; vitamq. tuam ad exactiſſimam rationis normam com
ponis: liberalitate ceteros homines aſſidue iuuas, ac vt omittam
munificentiſſimam tuam hoſpitalitatem, qua Cardinales, Præ-
ſules, & nobiles viros excipere ſolitus es, bonos, doctoſq. viros
ita foues, vt eorum Mæcenas iure quidem optimo ſis dicendus;
Pauperes autem miſeroſq. homines ita ſuſtentas, vt eorum Pa-
ter, & ſanè optimus prædiceris. Hæc norunt omnes, hæc ipſe
vidi, noui, atq. perſpexi omnia. Hæc eadem audiui tua fuiſſe
bona

bona ſemper in ante acta vita omni, lociſq. omnibus, præſertim Narniæ, ac Vrbe Vetere; quas Ciuitates ita rexiſti, vt illæ ſe abs te conſeruatas, tibiq. omnia debere fateantur; ac te ita dimiſe-rint; vt lacrimis & miro deſiderio fuerint proſecutæ. Denique illud tibi contigit, quod in parte felicitatis maxima ſtatuendum eſt, quodue perpauci admodum aſſecuti ſunt; vt iuſtitiam ſerues & ameris ab omnibus. Namq. maximam veteres in ſeruanda iuſtitia difficultatem ineſſe dixerunt, quòd ſi bene illam ſerues hominibus diſpliceas; ſin male Deo. At ipſe Deo & hominibus placuiſti ſemper, cum omnes recte intelligant, Iuſtitiæ tuæ Cle-mentiam adiunctam; vitam ab omni prorſus auaritiæ labe alie-nam, ac tantam eſſe animi tui coſtantiam & integritatem, vt ſol à ſuo potius curſu, quàm ipſe à iuſtitia deflectas. Quamobrem ex his facile dignoſcitur quam naturæ præcellentis vis: patriæ il-luſtris auctoritas: parentum optimorum procreatio, & educatio ſapientiſſimorumq. virorum inſtitutio, & exempla valeant. Ete-nim cum Manzolo genere non ſolum nobili, & antiquo, ſed He-roico ſis oriundus, animo maxime ingenuo, & excelſo, ad glo-riæq. ſtudia penitus propenſo natura te perbenigne admodum ornauit. Patria verò quæ Bononia clarior, & illuſtrior? quæue & ſuos, & externos Alumnos auctoritate, doctrina, & exemplis docere, & exornare ſplendidius, & elegantius poteſt? Parentes autem qui Hercule Manzolo Patre, & Geneura Palæota matre tua grauiores, & meliores? Vtinam ab illis educari tibi conti-giſſet, nam planè infans illos amiſiſti. Sed parentum loco tibi fuit Camillus Palæotus Cardinalis frater: Qui ſanè vir eſt omni virtutum genere cumulatiſſimus, in eo enim elucent, & excel-lunt Naſicæ ſanctitas, Catonis grauitas, Attici ſcientia, & iudi-cium: Lælij ſapientia, Curij continentia, & Veteris Camilli iu ſtitia, & probitas, ac vere Camillus eſt. Hic in quadraginta Bo-nonienſium ſenatorum numero ſenator eſt grauiſſimus & ſapien tiſſimus. Neſcias vtrum Remp. melius regat, an domum ſuam. Sed quam optimus ſit ciuis eius conſilia, quibus Bononienſis Reſp. præcipue nititur, facile declarant, quàm verò ſit optimus pater, eius filij. Ita enim educauit Galeatium filium, vt optimus ſit filius, patruo, & patre dign iſſimus, & vtriuſq; ſimillimus ſit fu-turus: Ita etiam educauit Hippolytam Palæotam filiam, vt Cor-

neliam, & Hortensiam Bononia Romæ non inuideat, vel potius hanc Bononiæ Roma inuideat. Est enim humanarum, diuinarumque rerum cognitione Græcæ, Latineque admirabiliter exculta. Huius ingenium, doctrinam, atq. virtutem grauissimus, & elegantissimus ille Panegyricus potissimum testatur, quem doctissimus, & eloquentissimus Iulius Iacobonius Interamnas familiarissimus meus edidit, & ad me Bononia superiori anno Camerinum vsque misit. Ab hoc tanto viro tu, Marchion, & Alexander fratres ita educati estis, vt vitia ignoretis omnia, & virtutes noueritis omneis, ac per eum vestras recuperaueritis fortunas, ornamentaq. plurima consecuti sitis: Nec tu tanti beneficij es immemor, cum illud in ore semper habeas: Nullus pater tam amanter, tam fideliter, tam accurate, tam ingenue suos vmquam educauit liberos, quàm me ac fratres meos Auunculus Camillus. Quanta verò illum obseruantia colas nulla explicare oratione possem. Hæc eo pluribus recensui, vt plane pateat, tibi adiumenta omnia esse à Deo suppedita ta, quæ ad summam virtutem, summam dignitatem, summamq. felicitatem comparandam expeti possunt. Sed quamquam generis, patriæ, parentum, & Auunculi Camilli institutio præstantissima fuit, ad perfectam tamen formam tuam Gabrielis Cardinalis, ac Auunculi tui disciplina & exemplum satis essent. Itaque verius tu quàm Plato immortales Deo gratias agere debes: Id quod ille assidue faciebat, quòd homo, quòd Athenis, quòd Socratis temporibus natus esset: Tu verò quòd homo, quòd prædiues, quòd potens, quòd nobilissimus, quòd Christianus, quòd Bononiæ natus es, ac præcipue quod Palæotum Cardinalẽ Auunculum, & præceptorem habes, qui moribus, & sapientia Socrate longe melior est: dignitate autem & religione tanto Socrate præstantior apparet, quanto Cælestia terrenis, & vera nostra religio falsa illa, quam colebat Socrates. Palæoti enim Cardinalis virtus Bononiæ (quæ non inferior est quàm Athenæ) nata & alta, Romæ postea, quæ multo maior est quàm Athenæ, ita cognita fuit, aucta, & ornata: vt illa duce ipse ad amplissimas dignitates, præcipue verò ad Cardineam, sit euectus; ac demum Bononiæ patriæ suæ illi commissa Ecclesia sit. Hunc homines omnes, boni præsertim, mirifice colunt. Hunc Christianæ

Reip.

Reip. Principes mira cum veneratione obseruant. Hunc amplissimus Cardinalium senatus maximopere veretur,& suspicit: Hūc sui temporis Pontifices omnes admirati maxime sunt: Gregorius vero summus nostris temporibus Ecclesiæ Pastor hunc patriæ studiorum, dignitatum fere omnium, laborumq. consortem supra quam frater amari possit vnice amat, seq alterum existimat. Nemo est qui nesciat, nullam in tota Pontificia ditione Ciuitatem præter Vrbem Romam Bononia nobiliorem esse: Quare Palæotus secundam à Pontifice dignitatem obtinet, cum ille vrbis Episcopus, Palæotus autem Bononiæ sit. Quis vmquam incredibilem illius virtutem, singularem sapientiam,& admirabilem sanctitatem explicaret? O Patriam Bononiam tanto tuo filio & patre beatissimam: A quonam ipsa maiora pietatis munera quam à tanto filio,& patre poteras expectare? Quis etiam plura, & maiora tibi præstitit pietatis munera quàm filius,,& pater tuus Gabriel Palæotus. Hic verè Cardinalis est Illustrissimus: Hic vere Episcopus est (vt Apostolus inquit) irreprehensibilis: hic sobrius, castus, pius, iustus, sanctus & sapientissimus. Hic nostris temporibus virtutum omnium præsertim religionis omnibus exemplum, & exemplar absolutissimum est, eritq. posteritati semper. Hic non lucerna solum, sed Ecclesiæ lux est fulgentissima: & sol sole ipso clarior. Lucerna est, nam omnes viam veritatis docet: lux est, nam ita lucet, vt omnes ab eo illustrati abijciant opera tenebrarum, & induantur arma lucis. Sol est sole ipso non clarior modo, sed potentior: Namque prauarum perturbationum nubes, malarumq. cogitationum pluuias ab hominū animis arcet, iucundissimam conscientiæ serenitatem refert, ardentissimumq. charitatis calorem in hominum animis excitat. Hic super speculam Domini stat iugiter; Hic à tabernaculo Domini numquam discedit, semper à Deo aliquid addiscit, quod populum doceat: Hic stat in alto per vitam vt possit prodesse per prouidentiam: Hic vere Pastor bonus est,& per ostiū in ouile Domini intrauit: oues suas optime cognoscit; eū optimæ cognoscūt suæ: Illas ipse assidue vocat, illæ vocē eius audiūt,& sequūtur illū. O quam fortiter ouilia munit, ac Lupos abigit procul. Hic à suis ouibus vitiorum omnium morbos depellit; improbæ scabiē hæresis vel potius luem propellit: Inscitiæ tenebras expellit, ac æstuantē libidinis calorem; inertisq. otij perniciosum frigus repellit;

Illas pedo ſeueritatis retinet fugientes; frondenti adhortationis ramo allicit renuentes; dulci eloquentiæ fiſtula oblectat: ſapientiæ ſale recreat; euangelicæ doctrinæ pabulo alit, ſalutaribus ſacramentorum fontibus abluit: Denique nullus Paſtor vigilat diligentius ipſo; nullus Epiſcopus docet ſapientius: nullus Pontifex verbo & exemplo melius inſtruit: Neminem vmquam Bononia docuit, qui bonum doceret melius, quin hunc Bononia docuit, vt ab eo Bononia doceretur, ipſe verò nihil docet, quin ipſe primus faciat. Quidquid cogitat, quidquid loquitur, quidquid agit doctrina populorum eſt. Hic vere Petronium ſanctiſſimum Bononienſium Diuum, repræſentat: Hic verè Apoſtolicam ducit vitam: Hic verè Chriſtum Ieſum imitatur. Noſtris temporibus nihil prædicatur libentius, quàm Cardinalis Palæoti virtus: Fatentur omnes Gabrielem Palæotum Bononienſem vere bonum eſſe, ac Bononienſes ipſos ab illo verè bonos eſſe factos; Bononienſemq. Eccleſiam ad Apoſtolicam diſciplinam eſſe reuocatam. Equidem facile crediderim (id quod ex ipſius nomine atq. virtute conijcio) Gabrielem Angelum humana Palæoti forma è Cælo demiſſum, vt Eccleſiæ fortiſſimus Cardo eſſet, Bononiæq. patriæ fortiſſimus Paſtor: Nam & angelica eius vita eſt, & Gabrielis fortitudo in ipſo ineſt. At quod admirabile prorſus eſt, cum omnia Deo, Romanæ Eccleſiæ, ac Bononiæ patriæ præſtiterit, quæ à ſanctiſſimo viro, à ſummo Cardinali, & à ſapientiſſimo Epiſcopo præſtari poſſunt; ſe tamen Dei ſeruum inutilem exiſtimat, ſeq. ita demittit, vt cum ſummo ſit proximus, imo tamen ſimilis videri velit. O virum vere admirabilem, qui Dei Opt. Max. laudi, & gloriæ tantum, ſemperq. ſtudet, ſuam verò ipſius laudem & gloriam omnino aſpernatur, ſeq. talem præſtat, vt longe maior eius moderatio ſit quam dignitas. Talis erat Nazianzenus, talis Chriſoſtomus, talis Athanaſius, talis Ambroſius, talis Auguſtinus, talis Hieronymus, ac vt dici poſſit, talis Gregorius erat, extra dignitatem Pontificiam nihil deeſt. Teſtantur Palæoti admirabilem ſapientiam doctiſſima legum monumenta, quibus Iuriſconſulti omnes iuſtitiam docentur: Teſtantur leges, & inſtitutiones plurimæ, quibus Bononienſis Eccleſia ſanctiſſime conſtituta eſt: & Eccleſiæ reliquæ omnes conſtitui poſſunt. Teſtatur aureus ille de do-

ctrina

ctrina Christiana libellus, quo Christiani pueri omnes iam instituuntur; Testatur de sacris profanisq. imaginibus præclarissimum opus, quod nunc præ manibus habet, atq. alia quam plurima monumenta quibus Christiana omnis Resp. ad verum Dei diuorumq. cultum instruetur. Intelligit sapientissimus hic pater, se ex Paulli sententia sapientibus, & insipientibus debitorem esse, ac propterea sanctitatem sapientes, insipientes autem sapientiam docere studet: præsertim pueros, quos cum Christianæ Reip. seminarium esse sciat, eam culturam adhibet, quę tanto seminario consentanea sit. Quæ disciplina omnium maxime necessaria passim antea negligebatur: adeo vt nulla esset senibus, nedum pueris Christianæ legis notitia: nunc verò senibus hoc in genere pueri longe sint sapientiores. Hæc industria, hæc vtilitas, hęc laus tota Palæoti est, qui nulli rei studet magis, quàm vt iaciat Christianæ Religioni fundamenta, quæ postea in amplissimum, & firmissimum ædificium surgant, quod nullus impetus, nullaq. vis labefactare possit. O Palæotum vere beatum: nam si Solon ille sapiens nunc viueret, te sine dubio beatum diceret, nec id audiens indignaretur Crœsus: sed Soloni assentiret, opesq. suas omnes quas tantopere, ac superbissime iactitabat, virtuti, felicitatiq. tuæ posthaberet. Tu enim tantus iam es, vt Petri potius quàm Petronij Sede sis dignus: quam si vllo vmquam tempore teneres, cernunt iam omnes animo, quam facile tibi esset, Christianam Remp. in veterem Petri, Christiq. seruatoris nostri disciplinam vindicare. Hoc profecto esset Virtutibus tuis Apostolicis & laboribus, quos pro patria, pro bonis omnibus, & pro uniuersa Ecclesia maximos, & plurimos pertulisti, præmium conuenientissimum: Nec tibi fortasse deerit: cum Petrus ipse, cuius priuatam Ecclesiam Bononiæ regis, uniuersam Ecclesiam suam tibi spondere uideatur; tametsi hoc tua uirtus certiori auspicio spondet. Sed alia te manent his longe ampliora in Cælesti patria præmia, quorum spe ipse tantopere laboras in Terris; quæue pia, perenniq. apud Posteros veneratione consequeris. Video me in uastissimum prouectum Pelagus: quare vela iam contraham, inhibebo remos ne Palæoti laudum, atq. virtutum immensis fluctibus obruar. Eius enim merita non meas, uerum Mureti, Sigonijq. oratorum Principum uires postulant.

Ad

Ad te igitur meam (Manzole) orationem reuoco , quem ſane felicem appellarim, cum tantus tibi contigerit Auunculus; qui te paterno amore dilexit ſemper, qui te ingenue ſanctiſſimeq. erudiendum curauit; qui domeſtica ſemper tibi diſciplina fuit; quiue te quotidie ſingulari exemplo docet. Nec tu tanto magiſtro fruſtra vteris: Quippe memini me tecum vel familiariſſime colloquentem abs te ſæpius audire, nihil te vel à vitijs reuocare fortius, vel ad virtutem incitare acrius, quàm dum recordaris, & cogitas Auuuculum tibi Cardinalem Palæotum eſſe; cuius inſtitutione ita vixiſti ſemper, vt ab ineunte ætate Epiſcopalem Indolem prætetuleris, & Auunculi tui te ſimilem futurum præſagierint omnes. Id quod cum optime intelligeret ſummus, & ſapientiſſimus Gregorius Pontifex, te mirifice amauit, te benigne fouit, tuæ virtuti fauit ſemper, nihilq. cogitauit magis, quàm te vt augeret & ornaret. Quare te Præſulem fecit, te Narniæ primum, deinde Vrbiueteri, poſtea Camerino præfecit, ac denique cum primum audiuit Balduinum Aduerſanæ Eccleſiæ Præſulem obijſſe, ac multi ſumma feſtinatione, atq. cupiditate illam peterent Eccleſiam, Pontifex omnibus reiectis, ſponte nō rogatus, vltro non coactus dixit: Georgius Manzolus Aduerſanæ Eccleſiæ Epiſcopus eſto: Id inquam neq. Cardinalis tuus cogitabat; nec tu optabas, nec tuorum vllus curabat: Pontifex tantum cogitabat, optabat, atq. curabat: Pontifex inquam motu proprio te delegit; Pontifex ore proprio de te retulit ad Apoſtolicum Senatum; teq. primo vndecimi ſui Pontificatus anni Conſiſtorio primum Epiſcopum renunciauit. Hæc ſane ſumma tua eſt laus, quòd ſummo Pontifici & places, & probaris; quodq. vocatus es non vocaſti; optatus es, non optaſti; quæſiuit te Epiſcopatus, non tu epiſcopatum: Quem tamen tu ſic accipis, quaſi munus Pontificis potius diuinæ benignitati, quàm tuis, tuo potius quàm aliorum iudicio, exiguis viribus, ac meritis conueniens: ac propterea & hoc & alia Pontificis erga te immortalia beneficia tanti facis, vt palam dicas, te parum vel potius nihil dicturum, ſi te omnia Pontifici debere diceres; ſi eius cauſſa vitam profunderes: verum te putare ſatis magnas illi relaturum gratias, ſi quemadmodum ille te tanta benignitate ſua dignum iudicauit, ipſe te cum dignitate hac, tum Pontificis

ficis

fit s iudicio non indignum præbeas, ac munere tibi ab illo assignato diligenter, fideliter, sanctæq. persungaris. Verumtamē hoc sic habeto, debes tu quidem summo Pontifici plurimum; at illi Aduersana Ecclesia multo debet magis; cum tu bonum quidem Episcopatum acceperis, at illa optimum Episcopum; tibi alia multa feliciora contingere possint, illi felicius nihil. Quid enim felicius gregi contingere potest, quàm optimus, & vigilantissimus Pastor? immo hæc vna, & summa est gregis felicitas. Censebat Plato Philosophorum grauissimus, Remp. illam esse beatissimam cui optimus præesset Princeps. Id verissimum esse testantur Resp. omnes quæ beatæ olim exstiterunt: Nostris verò temporibus testatur apertissime Christiana Resp. cui Gregorius XIII. præest: qui nomine, cognomine, insignibus vere non solum Maximus sed ter maximus est: Gregorius Græce vigilans pastor; Boncompagnus latinè bonus Pastor: Draco allegorice prudens pastor est. Vtinam tam vigilanti, tam bono, tam prudenti pastore diutissime fruamur. Nam si Plato nunc viueret maiorem vigilantiam, bonitatem atq. prudentiam suo in Principe non desideraret. Si verò Gregorius ille Romanus, & sapientissimus pontifex homines nunc alloqueretur: Gregorium hunc diceret cum re tum nomine omnino sui similem, suiq. pastoris, quem descripsit, hunc viuum esse exemplar affirmaret. Sed in ceteris Gregorij pontificis laudibus illa præcipua est, quòd populis, & Ecclesijs Rectores, sapientissimos, optimos, & integerrimos præficere consueuit: Id quod præ ceteris Camers Ecclesia potissimum testatur, cui nuper Hieronymum Bouium præposuit: Virum vere sapientissimum, optimum, & integerrimum. Quo pastore nos eius oues ita lætamur, vt beata frui vita, & summa in terris felicitate videamur. Hoc sanè pontificis benignitati acceptum referimus: Hoc idem iam de te Aduersani dicent, hoc idem Pontificis benignitati acceptum referent, qui cum te ex multis delegit, multis etiam meliorem iudicauit. Pontificis iudicium secuti sunt duo Philippi Boncompagnus, & Vastauillanus Cardinales amplissimi, Pontificis alter fratris filius, sororis alter; ac Iacobus Boncompagnus, Ecclesiæ totius Gubernator, & Soræ Dux clarissimus: Quippe qui senem pontificem in Christianæ Reip. administratione verius adiuuant, quàm in susti-

nendo Cælo Atlantem Hercules; eorumq. virtus non Christianæ tantum Reip. sed toti Terrarum orbi gubernando sufficeret. Tres igitur hi summi Ecclesię proceres cum in Auunculo tuo Cardinali Palæoto Colendo patriam sanctitatem, ac in te amando fraternam pietatem constituerint, nihil magis in optatis habent, quàm te quam maxime auctum, & ornatum videre. Quam autem tua ista dignitas illis optata, iucundaq. acciderit, amantissimis eorum ad te litteris apertissime declararunt. At hoc vno dolere visi sunt, quod ea in re à Pontifice sibi præuentum sit: voluissent enim ipsi pro te ambire, atq. rogare Pontificem: Cuius etiam in te deligendo iudicium comprobauit incredibili consensu, & alacritate augustissimus ille totius Orbis purpuratorum patrum senatus; comprobauit Roma vniuersa; comprobarunt omnes asserentes; Aduersanam Ecclesiam nulli quam tibi conuenire magis, omnesq. beatissimam Aduersam Ciuitatem appellant, cui tu pastor obtigeris. Dicebatur sane felix, & beata regio illa, quippe quæ felicis, & beatæ Campaniæ pars est, quam eloquentiæ pater superbam appellauit bonitate Agrorum & magnitudine fructuum, salubritate aeris, & pulchritudine regionis: Ceteri scriptores omnes Campaniam prædicant totius Italiæ amœnissimam, temperatissimam, & fertilissimam, asseruntq. in ea perpetuo vernare flores, vigere pomaria, virere herbas: auium concentu incolarum demulceri aures, triferas esse vites, triferos agros, ac denique perpetuum inesse, ac nitere ver. Verum te præsule Aduersa Ciuitas longe felicior, ac beatior erit. Nam tuæ vitæ bonitas, Terræ illius bonitatem, tua liberalitas agrorum fœcunditatem: morum puritas aeris salubritatem: animi formositas regionis pulchritudinem, consuetudinis iucunditas loci amænitatem: virtutes tuæ pulcherrimos flores: actiones tuæ aurea illa poma, orationis suauitas auium concentum vincent, atq. superabunt: Ac denique omnes agrorum fertilitatem bonis operibus præstabunt; perpetuumq. ver bonorum omnium Aduersæ Ciuitati nitebit. Sed quid multa? non poterat Aduersanæ Ecclesiæ pulchrior contingere sponsus; non poterat tibi sponsa contingere pulchrior. Pulchra in primis est situ, cum in media Campania campestri loco, & inter Neapolim, & Capuam vetustissimas, præclarissimasq. vrbes tamquam inter duas grauissimas

mas

mas Matronas pulcherrima puella sita sit. Etenim noua est Ciuitas abhinc circiter quingentos annos à Roberto Guiscardo Normando constructa, qui vt Neapolim, & Capuam obsideret sibi resistentes prope Atellæ antiquæ Ciuitatis ruinas consedit, ibiq. cum Castra communisset, ac nonnullos annos commoratus esset, Ciuitatem Aduersam condidit, quam eo nomine appellauit; quòd ex Euersæ Atellæ ruinis ædificata esset, vel quòd Neapoli,& Capuæ aduersaretur. At ego arbitror Aduersam dictam, quòd Atellæ moribus esset Aduersa; perinde quasi testatum esse conditores vellent, se Atellæ sumpsisse cœmenta, & lapides non autem mores: Nam Atella turpi libidini dedita olim fuit; Atellanæq. fabulæ omni obscœnitate refertæ bonis moribus omnino aduersabantur. At Aduersa Roberti sanctissimi viri,& sapientissimi Herois opibus condita,& legibus institutisq. instructa virtutum omnium, ac præcipuæ Christianæ Religionis præcipua semper fuit cultrix. Illud non prætereundum videtur, Atellæ Ciuitati contigit Ciceronis ætatis L. Pomponius Bononiensis, qui, cum doctissimus esset vir, ingenij vires omnes contulit ad Atellanas fabulas conscribendas, qua ex re non exiguam laudem cum ipse, tum Atellani comparasse visi sunt, erant enim vere fabulosa tempora illa, cum euangelicam veritatem ignorarent: At Christi lege promulgata homines Atellani,& Aduersani præsertim,à fabulis ad Christianam veritatem conuersi sunt: Nunc verò Aduersæ Ciuitati tu Georgi Manzole etiam Bononiensis contigisti Episcopus,qui non ex fabulis,sed ex euangelio,sed ex veritate,sed ex vera religione,quam Aduersanos docebis veram,solidam,immortalemq. laudem & gloriam tibi,tuisq. Aduersanis comparabis. Itaque si vllo vmquam tempore iusta exsultandi caussa Ciuitati Aduersæ fuit, nunc sanè est quàm vmquam antea maior. O quam læte, quam alacriter Ciuitas illa profusa tibi occurret,te consalutabit,te excipiet:Exsultabit Ciuitas illa, non tantum quòd Bononiensis vir verè bonus verum quòd nobilissimus, & Heroicus Præsul eorum Ecclesiæ præerit, cui Aragonenses,Columnenses,& Vrsini Heroes præesse ferè semper soliti sunt. Et est sanè Aduersa Ciuitas tam Heroicis Præsulibus dignissima. Nam est omnibus naturæ, industriæ, fortunæq. bonis mirifice instructa: Ambitu,satis ampla;

Tectis tribus millibus frequens, summis, nobilissimisq. Proceribus,& Principibus,grauissimis & sapientissimis Ciuibus referta: Præstantissimis ingenijs,doctissimis viris quam plurimis,optimis artibus,magnificentissimis templis,& ædificijs admirabiliter exculta: locupletissimis mercatoribus, frequentissimis nundinis, permultis sacerdotum, sacrarumq. virginum ordinibus, sacris, profanisq. dignitatibus,ac pulcherrimis, honestissimis, grauissimisq. feminis insigniter ornata. Locus non procul à mari distat, aptus est quam maxime venationibus,aucupijs,& piscationibus. Abundat quam plurimis gregibus & armentis. Quam amœna, quàm salubris, quam fertilis regio sit iam satis superq. à me declaratum,& ab alijs tibi significatum arbitror. Non Hesperidū, non Phæacum, non Babiloniorum Horti cum Aduersa Ciuitate comparandi sunt. Sed hoc ipso Aduersa loca omnia vel beatissima vincit; Quod Philippi Austrij Hispaniarum, Maioris Italiæ partis, Morinorum,Siciliæ, aliarumq. Insularum complurium, ac noui Orbis Regis, & Christianæ Reip. propugnatoris, inuictissimi,felicissimi,& augustissimi auspicijs regitur. Sed hoc bonum Aduersæ cum Ciuitatibus, prouincijs,regnisq. omnibus quæ tanto Regi parent commune est: Bonum tamen tantum cēsetur,vt maius optari,excogitari,& explicari nullo modo possit. Etenim iustitia,religio,virtutesq. omnes in Philippi Regnis proprium firmissimum, & perpetuum statuisse domicilium videntur. In his inquam purum præcipue Christianæ fidei,ac religionis frumentum est; abest omnino Hæresis infelix lolium; absunt omnis inscitiæ falsæq. scientiæ steriles auenæ. At sicubi purum Christianæ fidei frumentum est, Aduersæ certe est: Nam quæ sunt Philippi Philippo, quæ Dei Deo libentissime, sanctissime, ac fidelissime reddit. Age igitur (Manzole grauissime) tuum iam animum exhilara; gaude cum sponsa tua, quæ te sponso mirifice gaudet: lætare nobiscum; hoc est cum tuis omnibus; qui tua dignitate maximopere lætamur; Quiue etiam, & cupimus & speramus, te augustiori, vel potius augustissima dignitate auctum iri. Cuius rei auspicium capimus ex rebus auspicatissimis, quæ cum in superioribus, tum in Episcopali ista dignitate adipiscenda tibi obtigerunt; capimus ex ætate tua: Nam si tantus es adhuc Iuuenis, nec dum alterum, & trigesimum annum trās-

gressus

gressus, qualem quantumq. te prouectiori ætate futurum credendum est? Capimus ex virtute tua, quæ si iuuenili ista ætate tanta promerita, & consecuta est, quanto maiora te viro & sene promerebitur, & consequetur? Capimus denique ex tuæ dignitatis initijs, & ex Ecclesiæ tuæ nomine: Nam cum primum Præsulis vestibus indutus es, diuorum Petri, & Paulli dies festus agebatur: Prima verò Ecclesia, quæ tibi Aduersæ assignata est Petri, & Paulli nomine nuncupatur. Accipe omen (Præsul amplissime) ac virtute tua illud ratum effice. Deus faxit, vt tantũ omen eum quem tui magis quàm tu cupiunt euentum aliquando sortiatur. Interim fruere præsenti bono, ac tibi hoc sic persuade: te dum Aduersæ eris, in Terrestri quodam Paradyso futurũ. At dum in huiusmodi paradyso eris, de cælesti paradyso meditator semper: Loci illius pulchritudo, amœnitas, deliciæ, ac felicitas, te ad cælestem pulchritudinem, amœnitatem, delicias, & felicitatem assidue inuitent: Effice vt in deliciosa illa regione nullæ maiores quam tu deliciæ sint; ac denique vt quemadmodum Titus Orbis, tu Ecclesiæ deliciæ dicaris. Hæc autem, vt præstare queas, Perge Gabrielem Palæotum Cardinalem Auunculũ tuum imitari: Nunc nunc ille tibi est imitandus, nunc in illum intuendum: nunc illius vestigiis insistendum, cum illius munus geras, illiusq. episcopalem dignitatem sustineas. Disce ab illo vt vitia populi recidenda: vt à sacerdotibus abigenda inscitia, vt sacris iuuenes initiandi: vt erudiendi pueri, vt populus instruendus, vt inopes tuendi, vt miseri subleuandi: vt administranda sacra: vt ouium vtilitati, atq. saluti consulendum sit: vtq. optimum Pastorem te geras, vt omnia denique ex Christi Iesu ecclesiæq. Catholicæ pręscripto gubernes & agas. Hęc te quàm Palæotus nemo docebit melius: nulla enim illo melior disciplina, nullum pręstantius exemplar, nulla pręclarior viuendi, regendiq. ratio esse potest Numquam labere si illum audies, nũquam offendes si illum sectaberis Ducem. Denique illud in tota vita memineris: te à Pontifice Gregorio Præsulem, & episcopum factum esse: Cogitatione hac excitari maxime debes ad Põtificẽ ipsum assidue imitandum: pontificis exemplar tibi animo semper obuersetur. Hinc disce sanctitatem, vigilantiam, sapientiam, pontificiasq. virtutes omneis, quibus ille supra hominum fidem excellit: Atq. hoc sic tibi persuade, te multo magis

ornatum iri tanti Pontificis imitatione, quàm dignitate qua ornatus ab illo es: quaue maiori etiam ornaberis; si te ista quam maxime dignum præstiteris. Sed quid ago demens? quasi tu Monitore indigeas, ac non per te ipse ad virtutis, gloriæq. studia omnia incitatus, ad Auunculum Palæotum, Gregoriumq. Pontificem imitandum paratus; ad tuumq. munus rectissime sustinendum animatus, instructusque optime sis. Iuuenis bonus, prudens, ac sapiens es: nonne sperandum credendumq. est, te procedente iam ætate multo meliorem, prudentiorem, atq. sapientiorem futurum? Meam igitur orationem concludam; atq. ita concludam, vt Deum Opt. Max. votis precibusq. omnibus rogem, & obsecrem, vt diuturna tibi contingat vita; vtq. tua ista, & alia quæcumque dignitas obtigerit Deo Opt. Max. gloriæ, S.R. Ecclesiæ honori, tibi saluti, tuis vtilitati, ac omnibus gaudio, lætitiæ, felicitatiq. sit.



DIPLOMA CIVITATIS MANZOLO EPISCOPO A CAMERTIBVS DONATAE.


ILLVSTRI Admodum Comiti, & Reuerendissimo Præsuli Georgio Manzolo Camertum Præsidi, Aduersæ Ciuitatis Episcopo, ac ciui patronoq. nostro amplissimo Magistratus, & Ordo Ciuitatis Camerini S. P. atq. felicitatem optant.

NOSTRAE Ciuitatis institutum semper fuit (Præsul Amplissime) illa sibi comparare adiumenta, & ornamenta, quibus felicissime non consistere solum, sed etiam augeri, exornariq. posset. Ac propterea bonos, magnosq. uiros, & præsules tanti semper fecimus, ut unusquisque intelligere facile potuerit, mirificum ac propemodum singulare nostrum in illos fuisse studium; nihilq. nos magis habuisse in optatis, quam uel eorum gratiam, & beneuolentiam promereri; uel eorumdem erga nos merita remunerari; uel sua ipsorum dignitate nostram exornare Ciuitatem. At nostra hæc uoluntas in neminem umquam tam egregie propensa fuit, quam in te est: cum in te uno nil nisi mirifice amandum, probandum, & laudandum animaduertere potuerimus. Nam tibi ex illis bonis nullum deest, quæ uel ab homine, uel in homine expeti possunt. Si quis patriam quærat, quæ Bononia illustrior? Si genus, quod Manzolo clarius? si dignitatem, natus comes es; & ab ineunte iuuentute à Gregorio XIII. Pont. Opt. Max. Referendarius, ac Protonotarius Præsul; postea Narniensium, deinde Vrbeuetanorum, deinceps Camertum præses factus; Postremo Aduersæ Ciuitatis Episcopus Pontificis ipsius motu, & ore proprio creatus, & renunciatus es. Si diuitias, opes affinitates, propinquitates, clientelas, amicitias his nullus præsul te floret magis. Si animi bona quis explicare posset? Quis enim umquam crederet in te iuuene tantam esse prudentiam, tantam Cæsarei, & Pontificij iuris aliarumq. optimarum artium scientiam & sapientiam; tantamq. iustitiæ, pietatis, religionis, æquitatis, continentiæ, liberalitatis, comitatis, uirtutumq. omnium præstantiam, quantam in perfectis uiris, & senibus inuenire difficillimum esset? Adeo ut apertissime pateat, te ad uirtutes omnes à natura genitum, atq. à patria & ab Auunculis Gabriele, & Camillo Palæotis altero Cardinali sanctissimo, ac Illustrissimo; altero Bononiensis Reip. Senatori è quadraginta sapientissimo felicissime institutum esse. Sed in primis præstantissimum populos regendi munus præstantissime geris; ac publicum bonum ita tibi cordi est, ut ea semper mediteris, dicas, consulas, atq. agas, quæ Reip. tibi commissæ utilitati, commoditati, ornamento, & saluti sint. Explicari haud facile potest, quam sis ad omnium animos tibi conciliandos, ac deuinciendos aptissimus: Incredibile dictu est, quantus animus in te habitet; illum enim ita geris ut ingens celsitas inesse appareat; ita regis ut nulla turpi libidine, ac perturbatione concitetur. Sed quod præ-

clarissimum

clarissimum est, alios iuuare numquam destitis, ad nocendum adduci numquam potes. Hæc autem omnia non egregia tantum in te sunt, ut in ceteris uiris, & Præsulibus esse solent, sed Heroica: Atq. adeo aperte indicant, te moribus Episcopum semper extitisse, ac etiam quacumq. augustiori dignitate dignissimum esse. Tantarum autem tuarum uirtutum uim nos Camertes sex mensium spatio ita experti sumus, ut dum nos rexisti beatissime uixisse uideamur. At cum propediem te à nobis discessurum intelligamus, non solum dolore incredibili sed maxima ærumna nos affici sentimus. Lætamur tamen mirifice, quòd Episcopali dignitate auctus à nobis discedis; quodq. in hac nostra Ciuitate tanta dignitate auctus es, atq. adeo uotis omnibus optamus, ut Camerinum felicissimo tibi auspicio sit ad alia hoc ampliora bona consequenda. Nos igitur hæc spectantes, cupientesq. optimam nostrum omnium erga te, tuosq omnes uoluntatem declarare X. Kal. Iun. M D L X X X I I. omnibus ciuium omnium uotis, admirabili animorum alacritate, atq. incredibili publici Concilij nostri consensu te Illustrem admodum Comitem, ac Reuerendissimum Præsulem nostræ Ciuitatis nunc Præsidem, & Aduersanæ Ecclesiæ Episcopum Georgium Manzolum Bononiensem, ac etiam tuos posteros omnes Ciuitatis nostræ Camertis Iure donauimus, nullumq. honoris, muneris, immunitatisq. genus reliquimus, quo exiguum hoc munus cumulari à nobis amplissime posset. Fatemur quidem exiguum esse munus, minimeq. tuæ uel fortunæ, uel uirtuti par. At certo nobis pollicemur, illud à tua dignitate dignitatem mutuaturum: cum multo magis tu nos ornaturus sis huiusmodi accipiendo munus, quàm nos te ornauimus illud conferendo. Nos certe, quod habuimus, quodue potuimus dedimus maiora daturi, si maiora dandi facultas esset. Sed quid nam patria, & animo præstantius donari potest? Hoc tamen bona fide recipimus, in neminem umquam tanto animorum consensu, tam optima uoluntate, totq. suffragijs, hoc est omnibus, munus hoc à nobis esse collatum. Quare summis te rogamus precibus, ut munus hoc hilari uultu, lætissimoq. animo, & eo quo defertur accipias; existimesq. alteram hanc tuam esse patriam, tuam esse Ciuitatem, quam tua incredibili pietate, ac benignitate perpetuo foueas, atq. tuearis. Finem facimus, teq. optime ualere, felicissimeq. uiuere iubemus, & optamus: & in horum omnium fidem publicas has litteras à nostro Secret. fieri, in publicum nostrum Codicem referri; maioris nostri sigilli impressione muniri, & ad te denique mitti iussimus, atq. uoluimus. Dat. Camerini, è publicis nostris ædibus, &c.

Iul. Ioachin. Secret. Mandato.





Æternæ Pacis Iris 16 139

Oratio

De Christo in Cælum ascendente habita
In Quirinali Pontificum Sacello ad
S.mum D. N. Clementem X.
A Fran.co Petraglia Anno
Jubilei 1675

Exacta bellorum nocte decernitur triumpho dies, B. P. Iure igitur singulari gratulantium Cælorum plausu æternitatis Capitolium hodie triumphaturus ascendit Victor Dominus qui in exantlatis ad instaurandum Orbem laboribus, suo profuso sanguine humanitatis paludamentum sibi purpurauit. Ite vos bipatentibus Olympi valuis in occursum triumphantis Cælestium legionum exercitus et inter festas acclamantium voces victoriosum hunc Inferorum debellatorem famulâ iugalium spirituum ope secundissimo incessu ad immortalitatis metam deducite. Tu vero exurge in pompas tibi destinatas fortissime peccati, mortisq. destructor exurge et dum patrios Orbes postliminio repetis, per concatenatas tot annorum victorias Gloriæ tuæ apicem hodie tandem attinge.

Quasisti in campum, ut ubertimam palmarum messem legeres. Descendisti in arenam, ut ascenderes in triumphum.
O Summam temporum nostrorum felicitatem! Cris totius Orbis, ac mortalium omnium coronata desideria; fractum est iugum, et servitutis vincula excussa, quibus tyrannica tenebrarum potestas nostram catenauerat libertatem. Annihilato tandem hiemis furore, sceto veris prodigio perennis afflatur serenitas, et faustissimae lucis exoritur nunquam occasura diuturnitas. Atque ut huius nostrae felicitatis non obscura legamus argumenta oculatis animis in Nube illa triumphali, quae Regem maiestatis hodierna die rapit ad Gloriam, singulari astantis Dei beneficio aeternae Pacis Iridem coloratam contemplemur.
O auspicatissimum Vniuerso terrarum Orbi spectaculum! Quantum Deus immortalis! quantum iucunditatis liberali quadam emanatione cum incomparabili votorum nostrorum fenore in rerum omnium naturas influit! Enimvero quid vos arcuatum hoc Caeli ostentum, et diuina radiorum tempestate collucentem Iridem triumphantis Domini baiulam esse existimatis. Dicam ego Amoris Insigne, tranquillitatis Indicem, serenitatis Arram

Arram, Argumentum beatitatis, bonorum Auspicium, Salutis Aug Aurigam, Pacis Nuncium, Quod di Octauiano Cesare Vrbem ingrediente Celestis ille arcus, qui amenissima fulgurantium colorum obsidione Solem coronauerat, in pulcherrimam Securitatis quibus spem Romanorum animos erexit. Quid ni tradita huius Iridis pompa, que Diuino Imperatore Sideream Vrbem ineunte girauit Celum in circuitu glorie sue ad spem indubiam animemur numquam interrumpende pacis, et iam veterem expungi noctem nouum irradiari diem, iras compesci, laxari amores, stabiliri cum Deo fedus, nostram e carceribus in libertatem reuocari naturam, et mortem vltra non dominari prestolemur. Audiueratis olim Deum vltionum Dominum dum omnis caro viam suam corruperat super terram, et a recta Celi semita lacrimabili fedium errore, in viam abierat iniquitatis, Audiuistis inquam misericordie retinacula excussisse vt irasceretur furor suus et ingemuistis illum ad supplicia prouocatum inflammaturum in circuitu inimicos eius. Hodie demum repressas vindicte flammas, iniectas furori moras vobis ostendite, dum Iustitie vias accendit Christus

Mediator, qui ultricem irati Iudicis manum compescens destinata in reorum vertices fulmina intercipiet, ac duraturam Orbi securitatem exorabit. Sit ergo delirantium Ethnicorum fabula Iridem ad celestia terrenis, humana diuinis reconciliandum efficacissimam fuisse eloquentie Deam: apertum erit veritatis documentum hodierne Iridis arcanam vim, eique fidam, et efficacem adsertam oratricem ut Dei, hominumque sublato dissidio strictam inter utrosque daret amoris unionem. Sit naturalium Philosophorum iudicium manna illud, quod morbis medicari subuenit ab Iride produci, ac generari, diuinum est oraculum è nostra Iride tot aromata defluxisse salutis ad omnium malorum illuviem profligandam, et eterne mortis surripiendum morituros. Hac iam verecundos oculos in Celum attollere, cui communis hominum pudor eos ad terram deijciebat, et dum positum in Nubibus Arcum intueris eum benedicito, ac veluti fundamentum construendo Eterne Pacis templo candidissimis hodierne festiuitatis auspicijs pro vniuersa Republica ad sue tranquillitatis immortalitatem animanda excitatum venerabundus agnosce. Vnus ille ad succollantis Herculis dedecus

ut

et fabulosi Atlantis opprobrium collabenti in ruinas mundo inconcussus erit Sustentator, cuius amplissimo robore si=nuata Gratia collabentem erigant, erectum fulciant, ful:tum consolident, feliciter promoveant et sedatum: qua:propter eluctantes affectus continere non valeo, quin in festivas acclamationes erumpam. O nobis faustum et salutare signum! O amabilis Hyperion nostri tam foederis quam felicitatis Interpres Iris in Dicerem ac grande Supercilium Coeli, quod remota divini oculi severitate placide demissum gratulamur, nisi dici malles supre=mae misericordiae labium, quo desideratae pacis osculum nobis imprimitur. Vocarem te Tribunal pietatis, ad quod nostri absoluendi reatus, nisi Clementiae Sedes vo:cari praeambires, ubi termino tandem suo potius in restaurati mundi solatium respirat Deus, quem laborare fecimus in iniquitatibus nostris. Nominarem te gloriosum Christi Vexillum, sub cuius triumphali splendore, facta est multitudo militiae coelestis novae Saluti procedentis Principes celebrantis praeliatura nisi multicolor Amoris Balteus nominari diligeres

nendo Cælo Atlantem Hercules; eorumq. virtus non Christianæ tantum Reip. sed toti Terrarum orbi gubernando sufficeret. Tres igitur hi summi Ecclesię proceres cum in Auunculo tuo Cardinali Palæoto Colendo patriam sanctitatem, ac in te amando fraternam pietatem constituerint, nihil magis in optatis habent, quàm te quam maxime auctum, & ornatum videre. Quam autem tua ista dignitas illis optata, iucundaq. acciderit, amantissimis eorum ad te litteris apertissime declararunt. At hoc vno dolere visi sunt, quod ea in re à Pontifice sibi præuentum sit: voluissent enim ipsi pro te ambire, atq. rogare Pontificem: Cuius etiam in te deligendo iudicium comprobauit incredibili consensu, & alacritate augustissimus ille totius Orbis purpuratorum patrum senatus; comprobauit Roma vniuersa; comprobarunt omnes asserentes; Aduersanam Ecclesiam nulli quam tibi conuenire magis, omnesq. beatissimam Aduersam Ciuitatem appellant, cui tu pastor obtigeris. Dicebatur sane felix, & beata regio illa, quippe quæ felicis, & beatæ Campaniæ pars est, quam eloquentiæ pater superbam appellauit bonitate Agrorum & magnitudine fructuum, salubritate aeris, & pulchritudine regionis: Ceteri scriptores omnes Campaniam prædicant totius Italiæ amœnissimam, temperatissimam, & fertilissimam, asseruntq. in ea perpetuo vernare flores, vigere pomaria, virere herbas: auium concentu incolarum demulceri aures, triferas esse vites, triferos agros, ac denique perpetuum inesse, ac nitere ver. Verum te præsule Aduersa Ciuitas longe felicior, ac beatior erit. Nam tuæ vitæ bonitas, Terræ illius bonitatem, tua liberalitas agrorum fœcunditatem; morum puritas aeris salubritatem: animi formositas regionis pulchritudinem, consuetudinis iucunditas loci amænitatem; virtutes tuæ pulcherrimos flores: actiones tuæ aurea illa poma, orationis suauitas auium concentum vincent, atq. superabunt: Ac denique omnes agrorum fertilitatem bonis operibus præstabunt; perpetuumq. ver bonorum omnium Aduersæ Ciuitati nitebit. Sed quid multa? non poterat Aduersanæ Ecclesiæ pulchrior contingere sponsus; non poterat tibi sponsa contingere pulchrior. Pulchra in primis est situ, cum in media Campania campestri loco, & inter Neapolim, & Capuam vetustissimas, præclarissimasq. vrbes tamquam inter duas grauissimas

mas

mas Matronas pulcherrima puella sita sit. Etenim noua est Ciuitas abhinc circiter quingentos annos à Roberto Guiscardo Normando constructa, qui vt Neapolim, & Capuam obsideret sibi resistentes prope Atellæ antiquæ Ciuitatis ruinas consedit, ibiq. cum Castra communisset, ac nonnullos annos commoratus esset, Ciuitatem Aduersam condidit, quam eo nomine appellauit; quòd ex Euersæ Atellæ ruinis ædificata esset, vel quòd Neapoli, & Capuæ aduersaretur. At ego arbitror Aduersam dictam, quòd Atellæ moribus esset Aduersa; perinde quasi testatum esse conditores vellent, se Atellæ sumpsisse cœmenta, & lapides non autem mores: Nam Atella turpi libidini dedita olim fuit; Atellanæq. fabulæ omni obscœnitate refertæ bonis moribus omnino aduersabantur. At Aduersa Roberti sanctissimi viri, & sapientissimi Herois opibus condita, & legibus institutisq. instructa virtutum omnium, ac præcipuæ Christianæ Religionis præcipua semper fuit cultrix. Illud non prætereundum videtur, Atellæ Ciuitati contigit Ciceronis ætatis L. Pomponius Bononiensis, qui, cum doctissimus esset vir, ingenij vires omnes contulit ad Atellanas fabulas conscribendas, qua ex re non exiguam laudem cum ipse, tum Atellani comparasse visi sunt, erant enim vere fabulosa tempora illa, cum euangelicam veritatem ignorarent: At Christi lege promulgata homines Atellani, & Aduersani præsertim, à fabulis ad Christianam veritatem conuersi sunt: Nunc verò Aduersæ Ciuitati tu Georgi Manzole etiam Bononiensis contigisti Episcopus, qui non ex fabulis, sed ex euangelio, sed ex veritate, sed ex vera religione, quam Aduersanos docebis veram, solidam, immortalemq. laudem & gloriam tibi, tuisq. Aduersanis comparabis. Itaque si vllo vmquam tempore iusta exsultandi caussa Ciuitati Aduersæ fuit, nunc sanè est quàm vmquam antea maior. O quam læte, quam alacriter Ciuitas illa profusa tibi occurret, te consalutabit, te excipiet; Exsultabit Ciuitas illa, non tantum quòd Bononiensis vir verè bonus verum quòd nobilissimus, & Heroicus Præsul eorum Ecclesiæ præerit, cui Aragonenses, Columnenses, & Vrsini Heroes præesse ferè semper soliti sunt. Et est sanè Aduersa Ciuitas tam Heroicis Præsulibus dignissima. Nam est omnibus naturæ, industriæ, fortunæq. bonis mirifice instructa: Ambitu satis ampla;

Tectis tribus millibus frequens, summis, nobilissimisq. Proceribus,& Principibus,grauissimis & sapientissimis Ciuibus referta: Præstantissimis ingenijs,doctissimis viris quam plurimis,optimis artibus,magnificentissimis templis,& ædificijs admirabiliter exculta: locupletissimis mercatoribus, frequentissimis nundinis, permultis sacerdotum, sacrarumq. virginum ordinibus, sacris, profanisq. dignitatibus,ac pulcherrimis, honestissimis, grauissimisq. feminis insigniter ornata. Locus non procul à mari distat, aptus est quam maxime venationibus,aucupijs,& piscationibus. Abundat quam plurimis gregibus & armentis. Quam amœna, quàm salubris, quam fertilis regio sit iam satis superq. à me declaratum,& ab alijs tibi significatum arbitror. Non Hesperidū, non Phæacum, non Babiloniorum Horti cum Aduersa Ciuitate comparandi sunt. Sed hoc ipso Aduersa loca omnia vel beatissima vincit; Quod Philippi Austrij Hispaniarum, Maioris Italiæ partis, Morinorum,Siciliæ, aliarumq. Insularum complurium, ac noui Orbis Regis, & Christianæ Reip. propugnatoris, inuictissimi,felicissimi,& augustissimi auspicijs regitur. Sed hoc bonum Aduersæ cum Ciuitatibus, prouincijs,regnisq. omnibus quæ tanto Regi parent commune est: Bonum tamen tantum cēsetur,vt maius optari,excogitari,& explicari nullo modo possit. Etenim iustitia,religio,virtutesq. omnes in Philippi Regnis proprium firmissimum, & perpetuum statuisse domicilium videntur. In his inquam purum præcipue Christianæ fidei,ac religionis frumentum est; abest omnino Hæresis infelix lolium; absunt omnis inscitiæ falsæq. scientiæ steriles auenæ: At sicubi purum Christianæ fidei frumentum est, Aduersæ certe est: Nam quæ sunt Philippi Philippo, quæ Dei Deo libentissime, sanctissime, ac fidelissime reddit. Age igitur (Manzole grauissime) tuum iam animum exhilara, gaude cum sponsa tua, quæ te sponso mirifice gaudet: lætare nobiscum, hoc est cum tuis omnibus; qui tua dignitate maximopere lætamur; Quiue etiam, & cupimus & speramus, te augustiori, vel potius augustissima dignitate auctum iri. Cuius rei auspicium capimus ex rebus auspicatissimis, quæ cum in superioribus, tum in Episcopali ista dignitate adipiscenda tibi obtigerunt; capimus ex ætate tua: Nam si tantus es adhuc Iuuenis, nec dum alterum, & trigesimum annum trāsgressus

gressus, qualem quantumq. te prouectiori ætate futurum credendum est? Capimus ex virtute tua, quæ si iuuenili ista ætate tanta promerita, & consecuta est, quanto maiora te viro & sene promerebitur, & consequetur? Capimus denique ex tuæ dignitatis initijs, & ex Ecclesiæ tuæ nomine: Nam cum primum Præsulis vestibus indutus es, diuorum Petri, & Paulli dies festus agebatur: Prima verò Ecclesia, quæ tibi Aduersæ assignata est Petri, & Paulli nomine nuncupatur. Accipe omen (Præsul amplissime) ac virtute tua illud ratum effice. Deus faxit, vt tantũ omen eum quem tui magis quàm tu cupiunt euentum aliquando sortiatur. Interim fruere præsenti bono, ac tibi hoc sic persuade: te dum Aduersæ eris, in Terrestri quodam Paradyso futurũ. At dum in huiusmodi paradyso eris, de cælesti paradyso meditator semper: Loci illius pulchritudo, amœnitas, deliciæ, ac felicitas, te ad cælestem pulchritudinem, amœnitatem, delicias, & felicitatem assidue inuitent: Effice vt in deliciosa illa regione nullæ maiores quam tu deliciæ sint; ac denique vt quemadmodum Titus Orbis, tu Ecclesiæ deliciæ dicaris. Hæc autem, vt præstare queas, Perge Gabrielem Palæotum Cardinalem Auunculũ tuum imitari: Nunc nunc ille tibi est imitandus, nunc in illum intuendum: nunc illius vestigiis insistendum, cum illius munus geras, illiusq. episcopalem dignitatem sustineas. Disce ab illo vt vitia populi recidenda: vt à sacerdotibus abigenda inscitia, vt sacris iuuenes initiandi: vt erudiendi pueri, vt populus instruendus, vt inopes tuendi, vt miseri subleuandi: vt administranda sacra: vt ouium vtilitati, atq. saluti consulendum sit: vtq. optimum Pastorem te geras, vt omnia denique ex Christi Iesu ecclesiæq. Catholicæ pręscripto gubernes & agas. Hęc te quàm Palæotus nemo docebit melius: nulla enim illo melior disciplina, nullum pręstantius exemplar, nulla pręclarior viuendi, regendiq. ratio esse potest Numquam labere si illum audies, nũquam offendes si illum sectaberis Ducem. Denique illud in tota vita memineris: te à Pontifice Gregorio Præsulem, & episcopum factum esse: Cogitatione hac excitari maxime debes ad Põtificẽ ipsum assidue imitandum: pontificis exemplar tibi animo semper obuersetur. Hinc disce sanctitatem, vigilantiam, sapientiam, pontificiasq. virtutes omneis, quibus ille supra hominum fidem excellit: Atq. hoc sic tibi persuade, te multo magis

ornatum iri tanti Pontificis imitatione, quàm dignitate qua ornatus ab illo es: quaue maiori etiam ornaberis; si te ista quam maxime dignum præstiteris. Sed quid ago demens? quasi tu Monitore indigeas, ac non per te ipse ad virtutis, gloriæq. studia omnia incitatus, ad Auunculum Palæotum, Gregoriumq. Pontificem imitandum paratus; ad tuumq. munus rectissime sustinendum animatus, instructusque optime sis. Iuuenis bonus, prudens, ac sapiens es: nonne sperandum credendumq. est, te procedente iam ætate multo meliorem, prudentiorem, atq. sapientiorem futurum? Meam igitur orationem concludam; atq. ita concludam, vt Deum Opt. Max. votis precibusq. omnibus rogem, & obsecrem, vt diuturna tibi contingat vita; vtq. tua ista, & alia quæcumque dignitas obtigerit Deo Opt. Max. gloriæ, S.R. Ecclesiæ honori, tibi saluti, tuis vtilitati, ac omnibus gaudio, lætitiæ, felicitatiq. sit.



DIPLOMA CIVITATIS MANZOLO EPISCOPO A CAMERTIBVS DONATAE.

ILLVSTRI Admodum Comiti, & Reuerendissimo Præsuli Georgio Manzolo Camertum Præsidi, Aduersæ Ciuitatis Episcopo, ac ciui patronoq. nostro amplissimo Magistratus, & Ordo Ciuitatis Camerini S. P. atq. felicitatem optant.

NOSTRAE Ciuitatis institutum semper fuit (Præsul Amplissime) illa sibi comparare adiumenta, & ornamenta, quibus felicissime non consistere solum, sed etiam augeri, exornariq. posset. Ac propterea bonos, magnosq. uiros, & præsules tanti semper fecimus, ut unusquisque intelligere facile potuerit, mirificum ac propemodum singulare nostrum in illos fuisse studium; nihilq. nos magis habuisse in optatis, quam uel eorum gratiam, & beneuolentiam promereri; uel eorumdem erga nos merita remunerari; uel sua ipsorum dignitate nostram exornare Ciuitatem. At nostra hæc uoluntas in neminem umquam tam egregie pro pensa fuit, quam in te est: cum in te uno nil nisi mirifice amandum, probandum, & laudandum animaduertere potuerimus. Nam tibi ex illis bonis nullum deest, quæ uel ab homine, uel in homine expeti possunt. Si quis patriam quærat, quæ Bononia illustrior? Si genus, quod Manzolo clarius? si dignitatem, natus comes es; & ab ineunte iuuentute à Gregorio XIII. Pont. Opt. Max. Referendarius, ac Protonotarius Præsul; postea Narniensium, deinde Vrbeuetanorum, deinceps Camertum præses factus; Postremo Aduersæ Ciuitatis Episcopus Pontificis ipsius motu, & ore proprio creatus, & renunciatus es. Si diuitias, opes affinitates, propinquitates, clientelas, amicitias his nullus præsul te floret magis. Si animi bona quis explicare posset? Quis enim umquam crederet in te iuuene tantam esse prudentiam, tantam Cæsarei, & Pontificij iuris aliarumq. optimarum artium scientiam & sapientiam; tantamq. iustitiæ, pietatis, religionis, æquitatis, continentiæ, liberalitatis, comitatis, uirtutumq. omnium præstantiam, quantam in perfectis uiris, & senibus inuenire difficillimum esset? Adeo ut apertissime pateat, te ad uirtutes omnes à natura genitum, atq. à patria & ab Auunculis Gabriele, & Camillo Palæotis altero Cardinali sanctissimo, ac Illustrissimo; altero Bononiensis Reip. Senatori è quadraginta sapientissimo felicissime institutum esse. Sed in primis præstantissimum populos regendi munus præstantissime geris; ac publicum bonnm ita tibi cordi est, ut ea semper mediteris, dicas, consulas, atq. agas, quæ Reip. tibi commissæ utilitati, commoditati, ornamento, & saluti sint. Explicari haud facile potest, quam sis ad omnium animos tibi conciliandos, ac deuinciendos aptissimus: Incredibile dictu est, quantus animus in te habitet; illum enim ita geris ut ingens celsitas inesse appareat; ita regis ut nulla turpi libidine, ac perturbatione concitetur. Sed quod præ-

clarissimum

clarissimum est, alios iuuare numquam desistis, ad nocendum adduci numquam potes. Hæc autem omnia non egregia tantum in te sunt, ut in ceteris uiris, & Præsulibus esse solent, sed Heroica: Atq. adeo aperte indicant, te moribus Episcopum semper extitisse, ac etiam quacumq. augustiori dignitate dignissimum esse. Tantarum autem tuarum uirtutum uim nos Camertes sex mensium spatio ita experti sumus, ut dum nos rexisti beatissime uixisse uideamur. At cum propediem te à nobis discessurum intelligamus, non solum dolore incredibili sed maxima ærumna nos affici sentimus. Lætamur tamen mirifice, quòd Episcopali dignitate auctus à nobis discedis; quodq. in hac nostra Ciuitate tanta dignitate auctus es, atq. adeo uotis omnibus optamus, ut Camerinum felicissimo tibi auspicio sit ad alia hoc ampliora bona consequenda. Nos igitur hæc spectantes, cupientesq. optimam nostrum omnium erga te, tuosq omnes uoluntatem declarare X. Kal. Iun. M D L X X X I I. omnibus ciuium omnium uotis, admirabili animorum alacritate, atq. incredibili publici Concilij nostri consensu te Illustrem admodum Comitem, ac Reuerendissimum Præsulem nostræ Ciuitatis nunc Præsidem, & Aduersanæ Ecclesiæ Episcopum Georgium Manzolum Bononiensem, ac etiam tuos posteros omnes Ciuitatis nostræ Camertis Iure donauimus, nullumq. honoris, muneris, immunitatisq. genus reliquimus, quo exiguum hoc munus cumulari à nobis amplissime posset. Fatemur quidem exiguum esse munus, minimeq. tuæ uel fortunæ, uel uirtuti par. At certo nobis pollicemur, illud à tua dignitate dignitatem mutuaturum: cum multo magis tu nos ornaturus sis huiusmodi accipiendo munus, quàm nos te ornauimus illud conferendo. Nos certe, quod habuimus, quodue potuimus dedimus maiora daturi, si maiora dandi facultas esset. Sed quid nam patria, & animo præstantius donari potest? Hoc tamen bona fide recipimus, in neminem umquam tanto animorum consensu, tam optima uoluntate, totq. suffragijs, hoc est omnibus, munus hoc à nobis esse collatum. Quare summis te rogamus precibus, ut munus hoc hilari uultu, lætissimoq. animo, & eo quo defertur accipias; existimesq. alteram hanc tuam esse patriam, tuam esse Ciuitatem, quam tua incredibili pietate, ac benignitate perpetuo foueas, atq. tuearis. Finem facimus, teq. optime ualere, felicissimeq. uiuere iubemus, & optamus: & in horum omnium fidem publicas has litteras à nostro Secret. fieri, in publicum nostrum Codicem referri; maioris nostri sigilli impressione muniri, & ad te denique mitti iussimus, atq. uoluimus. Dat. Camerini, è publicis nostris ædibus, &c.

Iul. Ioachin. Secret. Mandato.





Æternæ Pacis Iris 16 139

47

Oratio

De Christo in Cœlum ascendente habita
In Quirinali Pontificum Sacello ad
SS.mum D. N. Clementem X.
A Fran.co Pettaglia Anno
Jubilei 1675



Exacta bellorum nocte decernitur triumpho dies, B. P. Quid igit. singulari gratulantium Cœlorum plausu æterni:tatis Capitolium hodie triumphaturus ascendit Victor Do:minus qui in exantlatis ad instaurandum Orbem labo:ribus, suo profuso sanguine humanitatis paludamentū sibi purpuravit. Ite vos bipatentibus Olympi valvis in occursum triumphantis Cœlestium Legionum Exercitus et inter festas acclamantium voces victoriosum hunc Inferorum debellatorem famula iugalium spirituum ope secundissimo incessu ad immortalitatis metam deducite. Tu vero exurge in pompas tibi destinatas fortissime peccati, mortisq. destructor exurge et dum patrios Orbes postliminio repetis, per concatenatas tot annorū victorias, Gloriæ tuæ apicem hodie tandem attinge.

Quaesisti in campum, ut ubertimam palmarum messem le-
geres. Descendisti in arenam, ut ascenderes in triumphu
O summam temporum nostrorum felicitatem! O ... toti
orbi, ac mortalium omnium coronata desideria; fracti
est iugum, et servitutis vincula excussa, quibus tyranni
tenebrarum potestas nostram catenauerat libertatem. Am
bilato tandem hiemis furore, lecto veris prodigio, perennis
afflatur serenitas, et faustissimae lucis exoritur numqua
occasura diuturnitas. Atque ut huius nostrae felicitat
non obscura legamus argumenta oculatis animis in
Nube illa triumphali, quae Regem maiestatis hodierna
die rapit ad Gloriam, singulari assistentis Dei beneficio
aeternae Pacis Iridem coloratam contemplemur.
O auspicatissimum universo terrarum orbi spectaculu
Quantum Deus immortalis! Quantum iucunditatis li
berali quadam emanatione cum incomparabili cordu
nostrorum fenore in rerum omnium naturas influit.
Enimvero quid vos arcuatum hoc Caeli ostentum, et
diuina radiorum tempestate collucentem Iridem trium-
phantis Domini baiulam esse existimatis. Dicam
ego Amoris insigne, tranquillitatis indicem, serenitatis
Arra

Arram, Argumentum beatitatis, bonorum auspicium, Salutis
Arq Aurigam, Pacis Nuncium; Quodsi Octaviano
Cesare Urbem ingrediente Celestis ille arcus, qui ame-
nissima fulgurantium colorum obsidione Solem coronauerat,
in pulcherrimam securitatis quietis spem Romanorum animos
erexit. Quidni trabeata huius Iridis pompa, que Di-
uino Imperatore Sideream Urbem ineunte girauit Celum
in circuitu gloriæ suæ, ad spem indubiam animemur num-
quam interruptionis pacis, et iam veterem expungi nocte
nouum irradiari diem, iras compesci, Cesari amores, stabiliri
cum Deo fœdus, nostram è carceribus in libertatem reuo-
cari naturam, et mortem ultra non dominari præsumemus!
Audiuistis olim Deum ultionum Dominum, dum omnis
caro viam suam corruperat super terram, et à recta Celi
semita lacrimabili fœdum errore, in viam abierat iniqui-
tatis, Audiuistis inquam misericordiæ retinacula excussisse
ut irasceretur furor suus, et ingemuistis illum ad supplicia
prouocatum inflammaturum in circuitu inimicos eius.
Hodie demum repressas vindices flammas, iniectas furori
moras vobis persuadeat, dum Iustitiæ vias arceret Christus

Mediator, qui ultricem irati Iudicis manum compescens destinata in reorum vertices fulmina intercipiet, ac duraa-ram orbi securitatem exorabit. Sit ergo delirantiis Poetarum fabula Iridem ad caelestia terrenis, humana divinis reconciliandum efficacissimam fuisse eloquentiae Deam, apertum erit veritatis documentum hodiernae Iridis arcanam vim, eamque fidam, et efficacem asserere oratricem ut Dei, hominumque sublato dissidio strictam inque utroque coarct amoris unionem. Sit naturalium Philosophorum iudicium manna illud, quod morbis medicari subuenit ab Iride produci, ac generari, dicanimus ex oraculis à nostra Iride tot aromata defluxisse salutis ad omnium malorum illuviem profligandam, et aeternae mortis surripiendum morituros. Hac iam verecundos oculos in caelum attollere, cui communis hominum pudor eos ad terram deijciebat, eundum positum in nubibus arcum intueris eum benedicito, ac veluti fundamentum construendo aeternae Pacis templo candidissimis hodiernae ipsius felicitatis auspicijs pro universa Republica ad suae tranquillitatis immortalitatem animanda excitatum venerabundus agnosco. Unus ille ad succolantis Herculis dedecus

et

ut fabulosi Atlantis opprobrium collabenti iam ruinis mundo inconcussus erit sustentator, cuius amplissimo robore sinuata brachia collabentem erigant, erectum fulciant, fultum consolident, feliciter promoveant elucidatum: quamobrem eluxantes affectus continere non valeo, quin in festivas acclamationes erumpam. O nobis faustum et salutare signum! O amabilissimum nostrum foederis quàm felicitatis interpres Iris ... te grande superciluum Cæli, quod remota divini oculi severitate placide demissum gratulamur, nisi dici malles supremæ misericordiæ labium, quo desideratæ pacis osculum nobis imprimitur. Vocarem te tribunal pietatis, ad quod nostri absolvens reatus, nisi clementiæ sedes vocari praeambires, ubi termino tandem suo potius in restaurati mundi solatium respirat Deus, quem laborare fecimus in iniquitatibus nostris. Nominarem te gloriosum Olimpi vexillum, sub cuius triumphali splendore facta est multitudo militiæ cælestis nostræ saluti procedentæ ... principes tenebrarum præliatura, nisi multicolor Amoris Balteus nominari diligeres

ad colligandum novo, sempiternoque foedere Deo hominem
sibi placatis. Huncce patrem et tractum in augusto sideris
theatro Arcum, e quo subactis tempestatibus triumphante
securitatem certo, et ineluctabili prognostico serenitatem
expectamus, nisi ductus e Caelo Pons amares nuncu:
pari, quo tumultuosum nostrae calamitatis pelagus
secura mortalium proles veniet in altitudinem et ad
ipsam Divorum beatitatem transmeabit. Quae ne
potius ad luxurianti eloquentiae pompam, quam
veritatis illustrandae debitum a me dicta existimetis
aureos hic esse appello divini flaminis imbres, decimo
ab hinc die pluvios, qui vel facundo linguarum
lenitus sopitos bellorum tumultus eloqui g. vel sa:
lutaris atque afflatu enubilato Caelo, tantae felici:
tatis lucem aperient, vel stupendo luminarium pro:
digio ad dirigendos pedes nostros in viam pacis
affulgebunt. E quibus, si augurari licet, possum
ibidem Caeli odia, terrarum clades, inferni proles, super:
stitionum vetustatis monstra ac vestris plane ruinis con:
sepulta latebitis falsorum Numinum simulacra
Sacri

Sacrilega Idolorum delubra, quæ excogitauit mendacium impietas fabricauit. Tu vero nè metuas noui candi:mi procellas tonanti fragore concutienda tellus. Bene ominari licebit, dum felicissimo profusa nimbo suis cum opibus Diuinitas impluet. Quare ad Iridis fridos in ascendentis Domini Nube accersitis ab oratoria facultate coloribus depingendam non inconsultò hunc adducens; Docuit enim mox illapsuram profusæ Diuinitatis pluuiam beneficam in [illegible] speciem colorata Iride prænunciari:


BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE